



15
1735, 6a ~~2. 8~~ 8
TOB. JAC. REINHARTH, ICTVS

SACRI PALAT. CAES. COMES, MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET PRINCIPIS ELECTORIS BRUNSVIGO-LVNEBURGICI A CONSILII AVLAE, JVRIS CANONICI PROFESSOR ET FACULTATIS JURID. ORDINARIUS.

NEC NON AD EA OBEVNDATA

QVAE PRO-RECTORIS SVNT IN ACADEMIA REGIA GOTTINGENSI

DELEGATVS COMMISSARIVS
PRAELECTIONES SVAS ACADEMICAS INSTANTI SEMESTRI HABENDAS INDICIT,

INSIMVL
DE

VSV ET NON VSV PRACTICO
DOCTRINAE
DE FICTIONIBVS JVRIS
DISSERIT.

GOTTINGAE
APVD ABRAMVM VANDENHOECK,
Academiae Typographum.

KÖNIGLICH
UNIVERSITÄT
ZV HALLE

TOP JAC REINHART H. 1815

SACRI PALATI CAES COMES, MAGNAE BRIT
TAMQUE REGIBUS BRITANNICIS BRITANNIAE
VIGILANTISSIMO A CONSUETUDINE
SACRI PALATI CAES COMES, MAGNAE BRIT
TAMQUE REGIBUS BRITANNICIS BRITANNIAE
VIGILANTISSIMO A CONSUETUDINE

NEC NON AD EA QUAE

CAES COMES, MAGNAE BRIT
TAMQUE REGIBUS BRITANNICIS BRITANNIAE
VIGILANTISSIMO A CONSUETUDINE

DELEGATVS COMMISSARIVS

EXERCITIONIS SVAS ACADAMICAS INSTANTI
NECESSARI HABENDAS INDICIT

IN
DE


VSV ET NON VSV FRAGTIO

DOCTRINAE

DE FICTIONIBVS IURIS

DISERIT

GOTTINGAE
ABD. ABRAMM. VANDENHOECK,
Academiae Typographus





Q. D. B. V.

Si quicquam est, quod plurimorum, qui judicandi praefertim munera sustinent, torquet ingenia, haudque injustas apud plerosque paravit querimonias, dolenda jurium, qua in Germania laboramus, incertitudo est, quae coeteris patriae nostrae malis palmam fere reddit dubiam. Neque dici, nec credi, ut satis est, potest, quam immensa damna tribunalia inde perpeffa, ac in praesens usque aevum sentiant incommoda. Non una, sed variae, si non infinitae inveterati & ingentis mali hujus causae sunt, quarum omnium recensionem cum instituti ratio prohibeat, vel unicam illam, peregrinorum scilicet & patriorum Jurium commistionem nominasse sufficiat; Quot, quantasve haec commixtio in decidendis fori controversiis difficultates & pepererit, iis ad intelligendum non erit difficile, qui tam praedictorum jurium peregrinorum, Juris puta Civilis & Canonici, inter se, quam utriusque cum jure patrio occurrentes collisiones,

pugnas & dissensiones attendent paullo penficulatiuſ, quippe quae ſaepe numero tantae ſunt, ut iudices, quo tandem ſe vertant, ſciant cum ignariſſimis, quamque decidendi normam ſequantur vel fugiant, ob ſummam ejuſdem incertitudinem, iisdem aquae haereant. Quem quaeſo latet, immane quantum fluctuent Doctores in determinandis cauſis, quibus Jus Canonicum uſum in Imperio, & ſigilatim inter Proteſtantes praefet, atque adeo Juri Civili haecenus praefendum ſit. Alii ad octo cum STRUVIO (*a*), LINCKIO (*b*) & RHETIO (*c*), alii ad undecim, vel quatordecim cum RITTERSHUSIO (*d*) multi ad plura adhuc capita illas retulerunt, in quibus Jus Canonicum juri Civili, in caeteris vero omnibus hoc illi praefendum opinati ſunt. Alii econtra insufficientiam horum capitum probe animadvertentes, certas regulas efformandas, iisque incertitudini obicem quodammodo ponendum putarunt, quas quidem ex praeſeclaudato RITTERSHUSIO illuſtr. BÖHMNERUS (*e*) recenſuit; ſed rem ita non confici, quin potius multum haefitationis nihilofecius in utriusque Juris pugna, quodnam alteri praefendum, ſupereſſe, idem condocuit, ſimulque mediam ac tutiorem viam, qua tandem in hac materia inceden-

(*a*) Synt. Jur. Civ. Ex. II. §. 39.

(*b*) Commentar. ad Decret. in Prolegom. p. 33.

(*c*) Diſſert. de auctoritate Juris Can. inter Aug. Conf. Confortes.

(*d*) Prolegomen. Diſſert. Jur. Civil. & Can. in ſ. penult.

(*e*) Jur. ecclēſ. Proteſt. L. I. Tit. II. §. LXXI.

cedendum, more solito, id est solide ivit offensum. (f) Longe praeterea consideratiores sunt difficultates, quae ex Doctorum, in doctrina de usu hodierno Juris Romani, in pugna cum jure Germanico & patrio, & quodnam alteri cedere debeat, emanant diffensionibus. Fuerunt quippe, qui ad superstitionem usque, pro jure Romano contra Jura Germanica pugnare, ac, hisce posterioribus insuper plane habitis, omnes fori privatas, & quod magis miraberis, publicas quoque inter illustres personas subortas controversias ex illo solo & unico decidendas existimaverunt; sed quemadmodum horum sententia ex Italicorum & speciatim CAROLI SIGONII (g) ab aliis satis explosa de Imperatoris LOTHARII II. sanctionis pragmaticae fabula, qua ex uno posthaec jure Romano, abrogatis omnibus aliis legibus & consuetudinibus judicia fierent, statuisse creditum fuit, praecipue suborta; ita nec apud viros, quibus ex meliore luto per status Germanici peritiam ficta sunt praecordia, applausum meruit, nec sibi paravit ullum. Quare cum inter ceteros eundem quoque errorem erraverit quondam GEORGIUS OBRECHTVS, (b), quod, e. g. in materia Jurisdictionis Germanicae & hodiernae, a Jure Romano pessime recedi, su-

A 3

per-

(f) Cit. tr. & tit. §. LXXV.

(g) De Regno Italiae L. XI. in f. conf. B. BRUNQVELLI Histor. Jur. Lib. II. Cap. 2. §. 2. & Cap. XI. §. 2. p. 336. & 406. Edit. Amstelædam.

(b) Dissert. de Jurisdic. th. 70.

perstitiose crediderit, tantum, ut a prudentioribus applau-
deretur, abfuit, ut potius MEVIUS (i) non minus vere,
quam graviter ejusmodi ICTOS *inutiles* & *perniciosos*, B. vero
TITIUS (k) *Legulejos*, qui de moderna Jurisdictionis for-
ma ex legibus Romanis censerent & disputarent, appella-
verint, in eandem sententiam in universum fere conceden-
tibus viris aliis clarissimis. (l) Alii econtrario in eo toti
sunt, ut immane quantum Jus Romanum attenuantes,
naevosque ejusdem exaggerantes, leges omnes fere veteres
Germanicas moresque in vigore mansisse, atque adeo Ju-
ris Romani in subsidium in Germania recepti in foris exi-
guum admodum esse usum, hocque illis semper postponen-
dum, non solum obtendant, sed quoque ad illud sive a-
gendo sive excipiendo provocanti ejusdem receptionis spe-
cialis probationem imponendam; contra vero pro non usu
ejusdem semper praesumendum esse censeant, (m) praete-
rea vetustissimas etiam & obsoletas Germanorum leges in u-
sum

(i) Part. IV. Dec. 290. n. 7.

(k) Jur. Privat. L. VIII. Cap. X. §. 14.

(l) Vid. Consultiff. Dn. GEBAUERI Collegae amicissimi Dissert. do-
ctiff. de Jurisdic. Lips. 1729. habitae integr. Cap. II. Dn. LAU-
TENSACKII Dissert. Inaug. de Jurisprud. romana otiosa in Capi-
tibus de Jurisd. & Pact. Erford. 1710 habit.

(m) Conf. B. Thomafii Diss. de exiguo usu Jur. Romani in foris
Germ. & Ejusd. Delineatio histor. Jur. §. 179.

sum denuo revocandas esse, enixe contendant, & vehementer exoptent. Verum nec haec sententia ita comparata, ut juris, de qua dixi, nimiae incertitudini quicquam medelae attulerit, quin potius eam adauxerit, atque adeo ab aliis jure meritoque contrariis rationum monumentis laceffita & in dubium vocata fuerit. Plane Juris romani exiguum usum esse in foris Germaniae, nondum adeo liquido fuisse evictum, neque evinci facile posse, praeter notoriam Imperii Praxin contrariam ex instituto offendit Dn. JO. FRID. WERNHERUS, ICTUS VITEBERG. (n) Neque naevos, quibus Jus romanum laborare ad ejusdem attenuationem obtenditur, attentione quadam singulari esse dignos, alii rectius judicant, quos non latet, novaturiente hoc seculo, neminem fere esse, qui non famae, & celebritati suae metuat, nisi Jurisprudentiae romanae laudibus, quas Europa cum universo poene terrarum orbe agnovit, detrahat, eamque petulantius exagitans, omnem quae in interpretando illo collocatur, industriam infructuosam esse sine sufficiente ratione existimet. (o). Ad vigorem vero legum Germanicarum veterum hodiernum, putat

(n) Differt. de Ufu Juris Justiniani in Judic. German. non exiguo, Viteberg. 1727. habit.

(o) Conf. ill. HEINECCII Orat. inaugural. de Jurisprud. veter. Romanorum formularia, ritibusque, quibus negotia civilia explicabant, solemnibus.

puta Capitularium Regum Francorum, multo magis Legum Burgundiorum, Wisigothorum, Salicae, Alemannorum, Saxonum, Angliorum &c. gratis provocant, praedictae sententiae assertores, cum, Ill. HEINECCIO iudice, omnes istae leges ne in universa quidem Germania unquam receptae, jam plurima ante secula exoleverint (p) hancque cladem ab ipso jure Canonico & Romano accepisse eo potissimum tempore probabile sit, quo haec conditis in Germania academiis, scientibus Imperatoribus nec non Principibus aliisque Imperii Ordinibus, publice docere fuerunt, atque non secundum Leges Germanicas & consuetudines, sed ipsum jus Canonicum & Romanum unice fere & continua serie in foris pronunciatum & decisum fuerit (q). Nunc autem cum non usu, aequae ac abrogatione expressa perire leges ex doctrina B. THOMASII (r) manifestum sit; inde porro firmiter concluditur, quod illis, qui praeiis ejusmodi Germanorum legibus, usum forensis, pro infringendo Juris Romani valore, hodie tribuunt, probatio incumbat, quod istae veteres leges jam olim in universa Germania usu receptae fuerint, vel ad minimum in hoc tractu, in quo controversia ventilatur, vigorem habuerint, eumque retinuerint, *quæ tamen probatio sicut ob impossibilitatem* ~~non~~

(p) Histor. Jur. Lib. II. §. CXVI.

per-

(q) Illustr. BOEHMER. Jur. eccl. Prot. L. I. t. II. §. LVII.

(r) Dissert. de morum cum jur. scripto contentione §. 22. 53. 54. 67. & 68.

perficietur & frustra expectabitur; ita idem quoque de eo, qui ad jura prisca *Saxonicum* & *Alamannicum* provocat, dicendum erit, utut multo major pro hisce juribus ex eo pugnare videatur praesumptio, quod huic in superiore, illi vero in inferiore Germania non levis olim fuerit autoritas; Nam inconcussa nihilo fecius pro jure Romano recepto propterea stat praesumptio, partim quod nusquam jura illa tota plane recepta, partim quod multis in locis publica lege vel abrogata fuerint (*f*) vel desuetudine valorem omnem longo ab hinc aevo amiserint. Eant quoque, qui nescio ex quibus veteramentis, de jure prisco Germanico resu-

(*f*) Illustr. HEINECCI Hist. Jur. L. II. §. CXVII. p. 471. Plane in terris Brunsvico-Luneburgicis, & sigillatim *Guelpherbytanis*, *Calenbergicis*, *Schaumburgicis*, *Bremensibus* Juris Saxonici abrogationem & Juris Civilis surrogationem, ex Ordinationibus Provincialibus edocuit Vir Cl. ESAIAS PUFFENDORFFIUS Introd. in Proc. *Civil. Electoratus Brunsvico-Luneburg. Cap. XXII. §. 18. seqq.* Idemque fere in Ducatu *Lauenborgico* obtinere ex eo patet, quod quamvis Jus Saxonicum in Ordinatione Curiae Prov. *Lauenburg t. I. §. 6.* in subsidium sit reservatum, tamen illud per hujus Ducatus Praxin, is, qui in ejusdem articulo se fundat, ejus observantiam & usum diuturnum prius probare teneatur, qua probatioe ut plerumque difficillimâ deficiente, neglecto Saxonum jure statim ad Jus Civile recurratur. Idem DN. PUFFENDORFFIUS cit. loc. §. 17. p. 543. ubi tandem concludit: Sic Jura Germanica forduisse Germanis ipsis!

refuscitando & in judicia reducendo, tantum non illud in corpus & systema aliquod redigendo, jure vero Romano in totum ferè eliminando, adeo anxie laborant, atque ostendant, quidnam tandem commodi & fructuum Academiis, vel foris, vel reipublicae, vel ipsi denique Imperio ex ejusmodi conatibus sperare liceat? Mihi certe cum prudentissimis viris metuendum, ne vel juxta vaticinium celebratissimi LEIBNITII (t) A FRUGE AD GLANDES, hoc est, interprete V. Cl. KRESSIO (u) a legibus romanis ad prisca Saxonium instituta, quae ob eorum, ne quid gravius dicam, inconcinnitates citato loco LEIBNITIO non arriserunt, revertantur, vel juxta verissimum effatum ill. HEINECCII (w) *incredibile damnum inferant reipublicae, dum Jus Romanum certum & a tot saeculis magno studio excoltum, manibus Juvencum extorquere conantur, neque tamen jus patrium certius & quod pro norma tuiò sequi possit, illis ostendant, ex quo demum verendum: ne plane omnis juris certitudo in foris & sibi tollatur.* Contra vero nulla vel probabilis, nedum idonea ratio prostat, quae suadet, ut ei, qui in jure Romano sive agendo sive excipiendo se fundat, probatio ejusdem receptionis, temere ab adverfo negatae, injungatur. Partim enim vehemens atque urgens praesumptio, ab omni proba-

(t) Tom. I. Rer. Brunsvic. in not. lit. f. p. 79.

(u) Comment. ad Ord. Crim. ad Artic. CXXXVII. n. 3. p. 283.

(w) Histor. Jur. L. II. §. CXVIII.

probatione eum absolvens, pro ipso emanat, quod jura romana in complexu suo integro, non vero in hoc vel illo tantum articulo institutis Germaniae academiis, in aulas & fora ita penetraverint, ut, quod nec ab ipsis dissentientibus in dubium vocari potest, conniventibus Imperii principibus & ordinibus, leges & consuetudines Germaniae veteres obsoleverint, eradicatisve potissimis Germanorum moribus, solus Justinianus in docendo & decidendo illa tempestate utramque paginam fecerit; *partim*, quod subsequenti aevo nulla hujus rei mutatio hactenus contigerit, quin potius per expressas Imperii leges (*) Jus Romanum JURIS COMMUNIS IMPERII honorifico nomine sigillatim & tot reiteratis vicibus insignitum, atque judiciis tam superioribus quam inferioribus pro norma decidendi controversias praescriptum fuerit. Atqui objicies, hoc ipsum, non simpliciter, sed sub notabili restrictione: *Si leges & consuetudines patriae deficiant*, esse factum, atque adeo Jus romanum tanquam iuris patrii saltem suppletorium, ancillans & subsidiarium, non vero ut principale receptum atque auctoritate publica & legali fuisse donatum? Sed respon-

deo:

(*) ORDINAT. CAMER. a. 1495. & 1504. ORDINAT. NOTARIOR. a. 1521. T. 32. §. 2. ORDINAT. PROC. a. 1538. ORDINAT. CRIMEN. CAROLI V. *praefat. & passim.*

deo: Recte quidem se habere haec omnia, & aperte in dictis Imperii legibus provocari ad constitutiones, ordinationes, statuta & consuetudines legitimas & rationales patrias, iudicesque, ut tum demum ad Jus commune Imperii i. e. romanum recurrant, iuberi, si praedictae leges patriae & mores deficiant. Sed hanc quaestionem praedjudicalem omne punctum ferre arbitror: Numquid per ejusmodi consuetudines & Leges Germanicas obsoletae illae & veteres per tot secula sepultae leges Visigothorum, Burgundionum, Bajuvariorum, Francorum, Alamannorum, Saxonum, Angliorum, & quae sunt coeterae in cineribus suis requiescentes priscorum Teutonum reliquiae subintelligantur? id quod haud temere negandum, atque adeo cum B. STRYCKIO, (y) ill. HEINECCIO (z) B. WERNHERO (aa), coeterisque pluribus in hanc mediam sententiam iure meritoque concedendum esse censeo, scilicet subsidiariam & suppletoriam iuris Romani receptionem in foris Germaniae ita esse accipiendam, ut toties demum secundum illud pronuntiandum sit, quoties vel status Germaniae vel mores generales & speciales PERPETUI aut HODIERNI, vel leges patriae scriptae RECENTIORES, puta, Recessus Imperii & aliae

(y) Uf. mod. ff. Differta. praelim. §. 28.

(z) Hiflor. Jur. L. II. §. CXIX.

(aa) Differt. de Ufu Juris Justiniaeni in for. Germ. non exiguo, §. IV.

aliae functiones pragmaticae, Ordinationes, constitutiones provinciales aut statuta loci particularia contrarium non induxerint; Atque cum per hanc ipsam mediam atque IN RECESSU IMPERII NOVISSIMO (bb) & adhuc luculentius in ORDINATIONE JUDICII AULICI (cc) satis fundatam & probatam sententiam tam legibus Germanicis & patriis sua servetur integritas, quam iuri Romano recepto sustineatur subsidiario & subordinato modo concessa autoritas; faciliori negotio, credo, incertitudini iuris, de qua ab initio inieci mentionem, in foris nostris hac in parte iri obviam, praeterea de usu vel non usu unius alteriusve iuris romani articuli in foris Germaniae subortam removeri haesitationem, quidve de isto demum statuendum, eo certius ferri posse iudicium.

Quod

(bb) De anno 1654. §. 107.

(cc) Tit. I. §. Und weilm Et. verbis: Sodann zuoberst Unser Romisch Keyserl. Wahl-Capitulation, Reichs-Abschiede, Religion &c. Profan Frieden, und den jüngsten Osnabrügischen Friedenschluss (per quae verba omnes antiquiores Germaniae Leges contrarias satis evidenter fuisse abolitas, adstruxit STRYCKIUS Uf. Mod. ff. Diff. praelim. §. 28.) wie auch jedes Stands Landes, Orths, und Gerichts, sonderlich die gebührl. allegirte und probirte Privilegia, gute Ordnung und Gewohnheiten, und in Mangel derselben (seil. Reichs Constitutionen und probirten Gewohnheiten) die Keyserl. Rechte und rechtmäßige Observaciones und Gebrauche in acht nehmen, und nach denen selben ihre Bescheide, Decreta und Urtheil richten &c.

Quod ut per exemplum illustretur, in praesentiarum Juris Romani per integram eiusdem compagem satis se exerentem doctrinam de FICTIIONIBUS JURIS in medium producā, huiusve *usum* vel *non usum* hodiernum ostendam brevissimis, praesertim cum illos, qui hac de materiā commentati, puta ANTONIUM DADIN. ALTESERRAM, RENNEMANNUM, ALTHUSIUM, JO. MOLLERUM, LOCHMANNUM, BEERIUM, SCHROETERUM, GUNZERUM, SIBRANDUM, NORICUM, MULLERUM, FICHTNERUM reliquosque, praeter ICtium, dum viveret acutissimum, TITIUM (*dd*) hocce pensum haud attigisse, nedum absolvisse animadvertere licuit. Per fictiones igitur eiusmodi dispositiones Legum romanarum intelliguntur, quibus scienter & aperte ob aequitatem aut aliam iustam causam falsum in facto suppositum in iure pro vero habetur, atque ad utilitatem subditorum assumitur. Cave autem fictiones cum praesumptionibus confundas. Recte enim CUJACIUS (*ee*) *Fingimus*, inquit, *quae non esse scimus; At praesumimus ea, quae vera esse arbitramur, probabilibus argumentis ducti*. Unde cum fictiones scienter ex iusta causa per legem fiant, altera quoad effectum a praesumptione emanat differentia, quod haec sua natura probationem contrarii ab

eo

(*dd*) *In Jur. priv. L. I. C. 9. & Dissert. de Fictionum romanarum natura & inconcinnitate.*

(*ee*) *Commentar. ad L. 62. ff. de Pactis.*

eo contra quem praesumitur, per elisionem argumentorum probabilium admittat; at fictio elisionem eius, quod contra veritatem a legibus praesumitur, minime indulgeat. (ff.) Cave porro fictionem mendacium esse inepte supponas cum WISSENBACHIO, (gg) qui cum PLACENTINO inquit: *Juvatur igitur actor (scilicet in actione Publiciana, de qua loquitur) potius si mentiatur, quam si verum dicat, quid enim haec fictio aliud quam mendacium, si non perniciosum, certe officiosum, quicquid autem cum veracitate pugnat, est vitium.* Recte regeffit eidem B. TITIVS (bb) *Fictionem mendacium dicere, esse mendacium non intelligere.* Quod enim aequitatis ratione commotus Legislator falsum esse aperte dicit, idem non facit mendax, qui veritatem sub falso, alterum illudendi gratia dissimulat. Noli praeterea pro *fictionibus veris* substituere *cerebrinas*, quales sunt omnes, quae citra, contra vel praeter legis dispositionem proferuntur; Nam pro regula tenendum: Potestatem fingendi non cujusvis esse, etiamsi maxima, cujus veritatem fictione interfit adumbrasse, subit aequitas, nec ullius privati, etiamsi sit summae autoritatis Doctoris, sed so-

lius

(ff) L. 16. C. de Probar. Renneman. Jur. Rom. German. Disp. XVII. §. 13. I. 1.

(gg) Ad Digest. Disp. 18. 22.

(bb) Dissert. de Fictionum romanarum Natura & inconcinitate §. 21.

lius legem vel condentis, vel quando ipsi visum fuerit, interpretantis legislatoris. Atro hoc ipsum carbone eo magis notandum, quo magis non paucos Doctores in istum errorem prolapsos animadvertere licuit, ut fictiones non pocas ipsi somniauerint, etsi in legibus earundem nec vola, nec vestigium apparuerit. Quamobrem illustr. BÖHMNERUS (ii) jure meritoque SARMIENTO (kk) AMAYÆ, (ll) FACHINÆO (mm) LAUTERBACHIOQUE (nn) notam dixit, quod hi cum pluribus aliis fictionem juris retroactivam vel translativam in doctrina de legitimatione liberorum illegitimum per subsequens matrimonium erronee supposuerint, atque hoc per fictionem retrahendum ad tempus vel conceptionis vel nativitatis eo fine putaverint, ut si eo tempore justum inter concumbentes potuerit esse matrimonium, legitimatio plenum effectum habere debeat. *Nam nullibi*, inquit prae- laudatus Vir illustris cit. loc. *Imperatores consuetuerunt talem fictionem retroactivam hic fundamenti loco ponendam, CUM TAMEN LEGUM TANTUM SIT FICTIONES, UBI NECES- SITAS ID POSTULAT, INDUCERE, NON INTERPRETUM, FIN- GERE*

(ii) Dissert. de Legitimatione ex damnato coitu natorum §. 10. & 14. & in Jur. Eccles. Prot. L. 4. T. 17. §. 24.

(kk) L. I. Select. interpret. c. 5. n. 10.

(ll) L. I. Obf. 4. n. 23.

(mm) L. 3. Controv. C. 3.

(nn) Diss. de Legitimat. per subsequ. Matr. §. 32.

GERE FICTIONES CEREBRINAS. Et frustra sunt omnes, qui in *L. 10. C. de natur. lib.* fictionem quaerunt, nam praesumta voluntas eorum, qui consuetudinem concubinariam elegerunt, quam ibidem allegat Imperator, non est fictio, à qua toto coelo differre praesumptionem supra jam praestruimus. Falsum quoque est, Pontificem ALEXANDRUM III. in famoso *cap. cum tanta X. qui filii sunt legitimi*, in *fictione* decisionem suam maxime favorabilem de legitimatione liberorum ex damnato coitu natorum, quales sunt ex sententia Juris Canonici omnes illegitimi, fundasse, contrarium enim patet ex verbis textus, quem truncatum ex *appendice Concilii Lateranensis III. p. 3. de Anno 1179.* apud HARDUINUM *Tom. VI. concil. P. 2. p. 1819.* restituit idem illustr. BOEHMERUS (oo) manifeste: Ubi Pontifex omnem vim legitimationis SACRAMENTO, quod sub matrimonio latitare creditur, non vero spuriae ejusmodi fictioni retroactivae, in cerebro interpretum natae, tribuit. Eundem errorem errant, qui in sic dicto *Constituto possessorio* fictam quandam traditionem subesse contendunt; Nequicquam enim, intuitu ejusmodi pacti, quod Constituti possessorii nomine venire solet, de ficta traditione in legibus Romanis hactenus reperire licuit; ut adeo non immerito praetensa haec fictio inter cerebrinas, aequae ac prae-

(oo) Jur. eccl. Protest. L. VI. Tit. XVII. §. 22.

praecedens, referenda sit (*pp*) imo ipsum LAUTERBACHIUM quem supra in numerum errantium ex eodem inscripsimus capite, alio in loco (*qq*) ad se rediisse video, dum hominum fictiones omnes in vitio, adeoque fictiones fictionibus cumulare sine legum auctoritate nefas esse, recte dixit, hincque tam contra ANTONIUM FABRUM (*rr*) qui ex ejusmodi fictione cerebrina juramentum defuncto delatum haberi voluit pro relato, quam contra illos, qui naturalem nepotem in filii aequae naturalis locum fictione juris surrogari, & per avi matrimonium cum concubina contractum, fieri legitimum inepte praetendunt, optime disputavit. Quibus nunc praestabilitis facile est ad intelligendum, mihi, usum & non usum fictionum juris ostensuro, non de praesumptionibus sive veritatibus probabilibus, neque de mendaciis eorumque efficientia fori juridica, multoque minus de fictionibus cerebrinis, sed de illis ipsis commentis notissimis, per totam juris Romani structuram diffusis esse sermonem, quibus Praetores potissimum Romani ad leges & Jus scriptum, quod directe Edictis suis immutare vel tollere non poterant, inflectendum & indirecte mutandum ita sunt usi, ut falsum pro vero & verum pro falso declaraverint, atque adeo

(*pp*) Vid. Vir. Cl. HIERON. FRIDER. SCHORCHII Diss. de Constituto Possess. LL. Rom. non fundato §. 4. Erf. a. MDCCXXXII. habit.

(*qq*) Disp. Acad. 95. de Jurei. Relat. §. 23 & Disp. 98. §. 31.

(*rr*) In Cod. Tit. de Reb. credit. def. 32. n. 3:

adeo rigorem juris scripti nimium in his vel illis casibus ex capite aequitatis vel alterius justae causae emolliverint & correxerint, & negotium incidens non ad legem, sed legem ad negotium, contra communem regulam, ea qua polluerunt autoritate, accommodaverint. Infinita vere ejusmodi fictionum in jure Romano profant exempla, quarum multitudo effecit, ut multas earum distinctiunculas Doctores finxerint, a quarum, ut legibus ignotarum, nequicquam usus in theoria & praxi habentium longa recensione non invitus, ut operae & chartae parcat, abstineo; quin potius ipsas fisiones aggrediar, non in cunctis quidem & singulis, sed in uno saltem alterove casu, jure Romano deciso, usum vel non usum hodiernum propositurus. Usus juris theoreticum vel practicum esse per se patet; sed utrumque fictionibus omnibus strictim abjudicavit Lipsiensium, quem supra laudavi JCtus quondam eximius B. GOTTLIEB GERHARD TITIVS (//) inconcinnam & ineptam totam earundem structuram asserens, qua nil nisi nebulae animo offunderentur, solidaque adeo juris cognitio impediretur, ac utiles doctrinae magis corrumpentur, quam adjuvantur. Deinde causam impulsivam in astutia Patriciorum Romanorum fictionum artibus

C 2. plebem

(//) Dissert. *Supra cit. de Fictionum juris Natura & inconcinnae, & Jur. priv. L. 1. Cap. IX. §. 18. seqq.*

plebem subjugum mittere molientium quaerendam, atque adeo reprobendam esse, ac denique fictiones omnes ultro, citra necessitatem, adhibitas fuisse, ut propterea iis hodie in Germaniae foris ab ejusmodi nugis plane alienis carere queamus, quid? quod ex jure, quo hodie uteremur, tanquam inutilia & perniciofa capita eo magis eliminanda esse, quo magis jurisprudentia vera non simulata Philosophia esse debeat. (*tt*) At vero tantum abest, ut sententiae huic in universum subscribam, ut potius usum hujus doctrinae theoreticum hodiernum adhuc eximium esse adstruam, nec omnibus fictionibus usum practicum indistincte denegem. Priorem quod attinet, illum ex eo apparere probarique satis arbitror, quod uti jus Romanum B. LYNCKERO (*uu*) & B. BERGERO (*ww*) iudicibus non in certis quibusdam articulis, sed integro suo complexu non extantibus legibus & moribus contrariis in Germania receptum, ita quoque in academiis integrè eo magis doceri adhuc hodie discique debeat, quo minus resecatis illis praecipue capitibus, quae fundamentum dispositionis atque decisionis multarum legum constituunt, haec vel plane non, vel non solide queant intelligi. Fictiones ipso fatente B. TITIO in *Jur. priv. C. 9. §. 25*. studium juris non invertunt, sed
 omni

(*tt*) ULPIAN. in L. I. §. I. ff. de Just. & Jur.

(*uu*) Analect. ad Struv. Synt. Jur. Civ. Eph. II. th. 35.

(*ww*) Dissert. de us. act. poenal. §. 9.

omni sine dubio inter juris Romani referuntur principia, quibus rejectis conclusiones iisdem innixas simul cadere necessarium erit, quod non potest non incertitudinem doctrinae & confusionem parere maximam. (xx) Usus fictionum practicum quod concernit, eundem in omnibus istis casibus hodiernum adhuc obtinere existimo, quibus illae ipsae legum Romanarum dispositiones in foris hodiernis locum sibi vindicant, quae sub fictionibus sunt propositae; Illis enim prioribus usu receptis, causa idonea non apparet, cur fictiones ipsae tanquam fundamenta genuina & causae dispositionis sublatae censei debeant. Quotiescunque vero ejusmodi legum Romanarum dispositiones sub fictionibus propositae ob leges vel mores germanorum contrarios in foris non sunt receptae vel sublatae, toties quoque fictionum ipsarum nullus usus erit practicus. Uno alterove exemplo res fiet clarior. Famosa scilicet & gemina est dispositio tam L. CORNELIAE quam JURIS POSTLIMINII, quarum *posterior* sub fictione ita proponitur, ut captis ab hostibus, in casu reversionis, omnia fere jura per captivitatem, quae servitutem apud hostes aequae ac Romanos ipsos involvebat, stricto jure amissa retro restituantur, hoc sub colore, quod nunquam in captivitate fuerint; *prior* vero, in casu mortis in captivitate evenientis disponitur, ut a momento captivitatis mutatio jurium capto competens

(xx) Conf. B. THOMASII Delineatio Historiae Juris §. 193. 197.

petentium fieret, eo colore, quasi illo tempore captus mortuus esset. Jam quaeritur: *An gemina haec fictio in foris Germaniae aliquem usum habeat, in casu Christiani ab infidelibus in bello capti?* Affirmat hanc quaestionem PHILIPPI (yy) & cum STRAUCHIO & TEXTORE MULDNERUS (zz) sed ego de negativa cum B. TITIO non dubito; Ratio decidendi in promptu est: quia ipsa dispositio Legis Corneliae & Juris Possiminii a Romanis sub fictione proposita: *Bello scilicet ab hostibus captos libertatem & civitatem per captivitatem, non solum apud hostes, sed etiam APUD SUOS, amisisse, teste SCHILTERO (aaa) in Germaniam ob mores perpetuos a pluribus seculis ad praesens usque aevum contrarios, & per experientiam notorios & confirmatos, nunquam fuit receptum. Cessante autem juris seu legis ipsius dispositione, quomodo fictio eidem adjuncta subsistere & usum praestare poterit?* Sed ponamus alium casum de fictione domnii, sub cujus involucro Publiciana actio a Praetore huius nominis fuit concessa & proposita, (bbb) & investigemus, an usum fori hodiernum apud nos habeant? Quod

uti

(yy) Ufu Pract. L. I. Eclog. 32.

(zz) Dissert. Epistolica de autoritate Jur. Romani in Germania.

(aaa) Ex. ad ff. 3. & 50. §. 10.

(bbb) §. 4. Inst. de Action. sub qua actione WISSENBACHIUS fictionem latere negavit perperam.

utique affirmandum censeo, quamvis B. TITIUS (*ccc*) & Dn. CAROL. GOTTLIEB KNORRIUS (*ddd*) cum NORICO (*eee*) mecum haud convenient. Regula enim superius proposita rationem decidendi suggerit, quod scilicet integra Praetoris Publicii dispositio, qua actionem ei, quem ob possessionem rei alienae bonâ fide, iustoque titulo mediante traditione à non domino acquisitam, dominum finxit, contra infirmiori jure possidentem indulgit, in foris Germania, ob summam aequitatem, in universum sit recepta, ita ut usus eiusdem, teste B. STRYCKIO (*fff*) hodiernus sit frequentissimus, ipse que BEIERUS (*ggg*) idem ingenue fassus sit. Ergo de fictione, tanquam eius fundamento, cur non idem dicamus, causa sufficiens deficit. Fictum enim Praetoris dominium, quod se fundat in eo, quod actor in conditione usu capiendi solo temporis complemento deficiente, sit constitutus, (*bbb*) unicam esse causam huius actionis efficientem proximam, atque fundamentum ab actore probandum ostendit LAUTERBACHIUS, (*iii*) praeterea unanimi Practico-

rum

(*ccc*) soepe allegatâ Dissertatione §. XXII. & Jur. priv. L. 3. C. 18. §. 10.

(*ddd*) Dissert. de Us. practico doctrinae Jur. rom. de Praetore & Iudice Pedaneo Cap. II. §. 16.

(*eee*) Not. ad Inst. §. 4. Inst. de act.

(*fff*) Us. Mod. ff. tit. de publ. actione §. 1.

(*ggg*) Ad Dig. tit. de Publ. in rem act. p. 199.

(*bbb*) L. 7. §. 16 & 17. ff. de Publ. in rem action.

(*iii*) Colleg. Pr. ff. L. VI. tit. II. §. 12.

rum consensu confirmatur; Publicianam non solum Rei Vindicationi ob difficultatem probationis dominii praeferrunt, factius esse, sed quoque cautelae instar commendatur: Vindicationem cum Publiciana alternative coniungi, ita ut actor non simpliciter in dominio vero se fundet, sed quoque quasi, h. e. ficti dominii in libello mentionem iniiciat. (kkk) Parum quidem refert, utrum conceptis verbis vel *virtualiter* hoc fiat, quodsi tamen utrumque actor omittat, in probando autem vero domino, in quo solo in libello se fundavit, deficiat, Reus etiam si infirmiore iure rem possideat, ex indole institutae actionis, secundum acta & probata & usum fori constantem adhuc hodie iuste absolvitur. Nam ex eo, quod maximam partem urgere placuit B. TITIO *cit. loc.* Jus Romanum strictum & formularium ab aequitate abhorere, nec in Germania observari, inferri quidem posse existimo: Nomen actionis Publicianae hodie in libello, ut conceptis exprimat verbis, non esse necessitatis; inde tamen, actionem Publicianam plane abesse hodiernum posse, atque solam Reivindicationem instituisse sufficere, eo minus concludere licebit, quo certius, diversam utriusque actionis adhuc hodie mansisse indolem, diversum fundamentum

(kkk) GAIL. *L. I. Obs.* 62. n. 5. MYNSING. *Cent.* 4. *Obs.* 11. STRYCK. *Uf. Mod. ff. de Publ. in rem act.* §. 1. DE BERGER *Oecon. p.* 299. *Not.* 2. & *p.* 295. *Not.* 14.

mentum, diversam denique probandi rationem, atque adeo actorem in exacta dominii veri probatione succumbentem, virtute Publicianae, de qua in libello nec vola nec vestigium, nec obtinere, nec probationem ultra institutae actionis fundamentum forsan extensam in judicando attendi, etiamsi inde Reum infirmiore jure possidere constitit. Sed quid de *Inofficiosi Testamenti Querela*, quam sub fictione insigni: *Patrem inique liberos exheredantem non sanae fuisse mentis*, propositam (lll) atque a Graecis teste MEURSIUS (mmm) & GROTIUS (nnn) mutuam & a Romanis adoptatam fuisse, constat, dicendum? an non & hic color in foris nostris usum adhuc praebet practicum? Sane viri clarissimi, quos inter COCCIJUM (ooo) HUBERUM (ppp) atque VINNIUM (qqq) nominasse sufficit, affirmativam ex illa ipsa, quam supra adduxi, ratione tueri non dubitarunt. Verum enim vero, cum ab ipso JUSTINIANO Jure Novellarum (rrr) hujus querelae remedium citra fictionem pri-

(lll) Cl. NOODTIUS in *Commentario ad Pand. L. 5. t. 2.* BYNCKERSHOECKIUS *Obs. Jur. Rom. L. 2. t. 15. pr.*

(mmm) In *Themide Attica L. 1. C. 3.*

(nnn) In *Flor. Sparf. ad L. 2. ff. de Inoff. test.*

(ooo) In *Jur. Controv. L. 5. t. 2. §. 4.*

(ppp) *Praelect. ad ff. L. 5. tit. 2. §. 4.*

(qqq) *Commentar. ad Inst. L. 2. t. 18. pr.*

(rrr) *Nov. CXV. Cap. III.*

D

stinam directe reperiatur propositum, atque exheredatis, ad rescindendam heredis institutionem, salvo in coeteris manente testamento, concessum, nec minus laxa exheredandi potestas in LL XII. tabb. indulta jure praedicto novissimo arctioribus limitibus sit circumscripta, negativae sententiae, quam tuentur STRUVIUS (ff.) FRANZKIVS (itt) HOPPIVS (uuu) SCHILTERVS (www) coeteri, ut adstipuler, haud haereo. Res eo redit, utrum hodie auctori querelam in officiosi testamenti, si in libello coloris seu ficti furoris haud meminerit, sed in eo solo, quod rite quidem, sed inique a patre exheredatus, se fundaverit, imo etiam, patrem fuisse sanae mentis confessus fuerit, exceptio inepti libelli vel incompetentis actionis cum effectu a reo, herede scripto, opponi queat, iudexque eam pronunciando attendere debeat? Et puto opponi eam non posse, nec oppositam a iudice attendi debere; praeterquam inecum habeo consentientem, ex qua vix ullum produci poterit praepudicium in contrarium. Haecque causa est, cur celebratissimus quondam Lipsensium Practicus SCHACHERVS (xxx) in hujus actionis da-

(ff) Synt. Jur. Civ. Ex. 9. §. 3.

(itt) Comment. ad ff. L. 5. t. 2. §. 12.

(uuu) Comment. ad Inst. pr. Inst. de inoff. test. ad verb. *Hoc colore.*

(www) E.erc. ad ff. XIV. §. 23.

(xxx) Collegio Practico tit. de inoffic. testam. p. 84.

data formula fictionis nostrae meliori jure mentionem non injecerit, secus ac OLDENDORPIVM (yyy) frustra fecisse legimus. Contra aliud exemplum usus practici fictionum romanarum Actio Praetoria *Pauliana* nobis suppeditat, qua ex summa aequitatis ratione alienationes in fraudem creditorum sub colore, nihil fuisse traditum, remque reapse alienatam & cum effectu dominium translativo traditam, in bonis debitorum mansisse, rescinduntur. (zzz) Maximum hujus Remedii usum in foris hodiernis extollit Practicorum facile Princeps CARPZOVIVS (aaaa) cum OLDENDORPIO (bbbb) quid causae ergo subit, quo minus fictione Praetoriae, tanquam actionis fundamento eundem usum fori indulgeamus, scio sane cum ignarissimis, cum, ut supra dictum, conclusione admitta, principium ex quo illa, disponente ita expressa lege, fluit, eo minus rejici queat, quo magis alias fundamentum agendi proximum & genuinum plane deficeret, reusque rerum alienatarum possessor non iniquam de incompetente & non fundata actione excipiendi contra creditores occasionem acquireret. Successionis porro ab intestato modum, qui jure repraesentationis fit, ex *fictione sola juris* de-

(yyy) *Class. V. A. 2, §. 3.*(zzz) *L. 1. ff. quae in fraud. cred. §. 6. Inst. de Action.*(aaaa) *Dec. 224.*(bbbb) *Class. VI. act. I.*

derivari EVBENIVS, (cccc) MEVIVS, (dddd) ROTGERSIVS, (eeee) RITTERSHVIVS (ffff) cum coeteris fatentur unanimiter. Nunc autem, cum GROTIUS (gggg) & WIDEKINDO (bbbb) testibus, ius eiusmodi repraesentationis sero ad Germanos pervenerit, & sub OTTONE M. demum fictione iuris nepotes cum filiis ad hereditatem parentum admissi fuerint, hoc ius vero sequentibus seculis, ut ostendit ROTGERSIVS (iiii) rursus obliteratum a MAXIMILIANO I. (kkkk) iuxta iuris Romani dispositionem denuo reductum & confirmatum fuerit, nemo facile usum hujus fictionis practicum, de quo testatur STRYCKIUS (llll) & HEROLDVS, (mmmm) jure in dubium vocare poterit. Porro traditiones, itemque confessiones Reorum & Convictiones *fictae* (nnnn) luculentissima usus practici hujus doctrinae exhibent testimonia, cum nihil in foris videamus fieri frequentius, quam reos contumaces

(cccc) Observ. theor. pract. ad Inst. disquis. 12. Obs. 6. seq.

(dddd) Ad Jus Lub. P. 2. t. 1. a. 2. n. 12. seq.

(eeee) Comment. ad Nov. 118. de success. leg. C. 7. §. 82.

(ffff) Expos. method. Justin. Novell. P. 7. C. 1. §. 7.

(gggg) De Jur. Bell. & Pac. L. 2. C. 7. §. 30.

(bbbb) L. 2. annal. p. 644.

(iiii) Loc. cit. §. 87.

(kkkk) Ordinat. Camer. A. 1500.

(llll) De succ. ab intest. Diff. 1. C. 1. §. 68.

(mmmm) De Jur. Repraesent. cap. 3. sect. 1.

(nnnn) LUDOVICI doct. Pand. L. XLII. T. II. §. 2.

tumaces pro confessis & convictis declarari, quod non nisi per fictionem contingere, manifestum est. Per omnes autem coeteras fictionum species, ut idem demonstrem, per instituti rationes prohibeor, & ne scriptionis hujus limites temere excedam, haud illibenter superfedeo. Quam ob causam in praesentiarum adhuc addidisse sufficiat, rationes omnes huic doctrinae oppositas & supra recensitas, ne quicquam eidem officere. Nam nihil penitus tenebrarum & obscuritatis aut incommodi, quod Jurisprudentiae per fictiones, si recte explicentur, accreverit, adhuc reperire licuit, quin haec mala omnia potius ex praetensa earum eliminatione metuenda esse, certum, quidquod? certissimum; atque cum, Cl. SCHVLTINGIO (0000) iudice, omnes fictiones summa aequitate nitantur, quas leges Romanae haud temere, sed summa cum prudentiâ tunc demum induxerunt, quando quidem aequitati obstabat veritas, & ordo rerum naturalis, nihilo tamen secius salutis civium, citra legis expressam & directam mutationem, quae a Praetorum potestate fuit aliena, interea consulendum erat, nemo facile easdem inter meras nugas & ineptias facile retulerit, neque illas a Germanorum genio aequitatis studiosissimo simpliciter abhorre, vel statui Imperii inimicas, penitusve adversas aestimaverit. Nec, si vel maxime sponte largiamur dissentienti-

bus;

(0000) Jurisprud. Antejustiniana ad tit. 10. §. 1. Not. 4. ex corpore Ulpiani.

bus: fictiones ultro à Praetoribus citra necessitatem absolutam olim adhibitas fuisse, atque adeo dispositiones legum absque illis clarius forte proponi potuisse, & adhuc idem per leges novas posse hodie, quicquam veritati nostrae, quam propugnauimus, sententiae, metuendum existimo; Nam nemo non satis intelligit, quaestionem nobis non esse de legibus olim & hodie rectius & absque fictionum tegumentis ferendis; sed de legibus Romanis, cum fictione fonticis ex causis jam tum latis & in Germania receptis & approbatis, interpretandis & ad usum tam theoreticum in scholis, quam practicum in foris proferendis; de quorum priore, cum spectet ad Jurisprudentiam legislatariam, nostrum non tam erit judicare, quam potius legibus receptis diligenter eousque insistere, quousque contrariis sanctionibus publicis, vel moribus perpetuis non ostenduntur reprobatae. Quod super est, ad Vos, qui corona nostra estis, spemque patriae sustinetis, *Gene-*

rosi ac Nobilissimi Commilitones, accedo, atque cum *Serenissimus & Potentissimus Magnae Britanniae Rex, & Elector Brunsvigo-Luneburgicus* Dominus **GEORGIUS**

II. Dominus meus longe Clementissimus, Academiae nostrae Instaurator & Stator munificentissimus ex peruetusta

Aca-

Academia Erfordienſi, in qua per quatuor, & quod ex-
 currit luſtra, praeter coetera officia ſatis ardua, Profeſſoris
 munere feliciter fungi mihi contigit, clementiſſime me evoca-
 verit, atque in locum Viri de Jurisprudencia & Academia Je-
 nenſi ac noſtra optime meriti B. JO. SALOMONIS
 BRUNNQUELLI, Icti eximii ita ſuffecerit, ut mu-
 nus ORDINARIi in Facultate Juridica, cum Statione in-
 ter Anteceſſores Juris ſecunda ac docendi Jus Canonicum
 Provinciã regia in hac Univerſitate mihi aſſignaverit, ipſi fa-
 cile intelligetis, officii mei rationes a me exigere, ut omnes
 nervos, muneri ut tam graviffimo a me fiat ſatis, intendam;
 rectius autem & expeditius id fieri nequire exiſtimo, quam
 ſi Vobis, enixam ac ſingularem meam in adjuvando pro-
 movendoque veſtro jurisprudentiae ſtudio non minus pol-
 licear cupiditatem, quam etiam operam induſtriamque
 reapte doctrina mea ita praeftem, ut ſolidis Juris principiis
 ad Praxin & uſum fori praecipue accommodatis imbuami-
 ni, iisque ſatis aucti & quaſi ſuffarcinati cum honore a no-
 bis diſcedatis, & ad patrios lares, non frustrata parentum
 expectatione, cum laude aliquando revertamini. Quam
 metam ut eo feliciter adipiſcamini, non otio, non languore,
 non ſomnolentiã, ſed improbo & perticani labore opus erit,
 & diligentia, qua & ego inſtanti ſemeftri brumali ſemper
 praeeibo Vobis praelectionibus juridicis. Commentabor enim

I. In STRUVII Jurisprudenciam Romano Germa-
 nicam hor. IX. II, In

II. In *Pandectas* juxta doctrinam LAUTERBACHIANI Compendii horis pro- & pomeridianis XI, & III.

proximò die Lunae, qui est *decimus septimus* hujus mensis, annuente DEO in utroque penso facturus initium. Recitationibus vero publicis destinavi

B. LUDOVICI usum practicum distinctionum Juridicarum

quibus, ut & *Collegio Practico* & *Relatorio* propediem inchoando dies cum commodis horis speciali chartà a me quoque praestituentur. Nec illis denique qui JURIS CANONICI explicationem desiderabunt, si quicquam ob fasces, quos jam habeo academicos, temporis superfit, opera mea defuturus. Faxit D. T. O. M. ut qualiacunque haec conamina ad sui vergant gloriam & Academiae nostrae incrementum. P. P. Gottingae d, XI. O&obr. MDCCXXXV,



ERRATA POTIORA.

- p. 8. linea ultima, post vocem finalem, *eumque*, integra line
curiâ Typographi omiffa, fic fupplenda: *eumque retinu*
quae tamen probatio ficut ob impoffibilitatem vix &c.
- p. 9. lin. 7. pro praeterea leg. *propterea.*
- p. 24. lin. 2. pro vindicatori, leg. *vindicationi.*
- p. ead. lin. 9. pro domino leg. *dominio.*
- p. ead. lin. f. pro manfifte leg. *manfiffe.*
- p. 32. lin. 5 & 6. pro Recitionibus leg. *Recitationibus.*

ERRATA POTIORA

- p. 8. linea ultima, post vocem fandum, cuiusque, interea line
curis Typographi omittit, sic supplenda: cuiusque etiam
quae tamen pariter sunt de impressibilitate etc. etc.
p. 9. lin. 7. pro praeterea leg. praeterea
p. 24. lin. 2. pro vindictam, leg. vindictam
p. 24. lin. 9. pro domino leg. domino
p. 24. lin. 1. pro manife leg. manife
p. 2. lin. 2. & 6. pro Reditionibus leg. Reditionibus









ULB Halle

3

006 563 244



VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

15

1735/6a ~~200~~ 8

TOB. JAC. REINHARTH, ICTVS

SACRI PALAT. CAES. COMES, MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET PRINCIPIS ELECTORIS BRUNSVIGO-LVNEBURGICI A CONSILII AVLAE, JVRIS CANONICI PROFESSOR ET FACVLTATIS JURID. ORDINARIUS.

NEC NON AD EA OBEVNDATA

QVAE PRO-RECTORIS SVNT IN ACADEMIA REGIA GOTTINGENSI

DELEGATVS COMMISSARIVS PRAELECTIONES SVAS ACADEMICAS INSTANTI SEMESTRI HABENDAS INDICIT,

INSIMVL
DE

VSV ET NON VSV PRACTICO DOCTRINAE

DE FICTIONIBVS JVRIS DISSERIT.

GOTTINGAE

APVD ABRAMVM VANDENHOECK, Academiae Typographum.



P. H.